EPISTOLA
RESPONSIVA
Pro Iuſtitia, & Veritate

QVA

AVTHOR DILVCIDATIONIS

Facultatum Minorum Pœnitentiariorum

BASILICARVM VRBIS

Se tuetur à calumnia ſibi impoſita

A D. OCTAVIO LIGVORO

AVERSANÆ DIOECESIS

IN SVA LYRA POLITICA

Neapoli impreſſa

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Dictitante Opus ex ſua Officina non prodüſſe, ſed ex illa Illuſtriſſimi D. PETRI ANTONII CAPOBLANCHI.

ROMÆ, Apud Petrum Oliuerium, MDCCIII.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

APPROBATIONES.

CVm de ordine Reverendiſs. P. Ioannis Antonij à Panormo Commiſſarij Generalis Minorum Obſeruantium, & Reformatorum legerimus, & qua potuimus diligentia perluſtrauerimus quamdam Epiſtolam, cuius titulus eſt, Epiſtola Reſponſiua &c. *à R. A. P. Syro Placentino Reformatæ Prouinciæ Bononiæ Lectore Emerito, & apud S. Ioannem Lateranum Pœnitentiario Apoſtolico elaboratam, vna cum Atteſtationibus eidem adnexis, & nihil inuenerimus contrarium Fidei, nihil diſſonum moribus, non ſolùm cenſemus, ipſam poſſe typis tutè mandari, ſed & perneceſsè iudicamus, ad reparandum Ordinis honorem, in perſona præfati Patris iniuſtè læſum, & denigratum. In quorum fidem &c. Ex Collegio Apoſtolico Pœnitent. Lateranen. die* 20. *Iulij* 1703.

Fr. Alexander à Grabedona.
Fr. Carolus Franciſcus Vareſius.

VIgore præſentium facultatem impertimur ſupradicto P. Syro Placentino Noſtræ Reformatæ Prouinciæ Bononiæ Lectori Emerito, quatenus, ſeruatis Sacroſancti Concilij Tridentini Decretis, alijſque ſeruandis, præfatam Epiſtolam typis mandare valeat. Dat. Romæ ex Aracœli die 21. Iulij 1703.

Fr. Ioannes Antonius de Panormo
Commiſſarius Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato S. P. Reuerendiſsimæ
F. Stephanus de Parabita Lect. Emer. & Sec. Gen.

Regiſt. &c.

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Sac. Palatij Apoſtolici Magiſt.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſgerens.

IMPRIMATVR

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

Google

Secunda ad Lectorem.

ECCE hanc, ſtudioſè Lector, ſecundam tibi ſcribo Epiſtolam, contra vſum quidem iuxtà tamen neceſſitatem, non ad aliquid tibi denuò prænotandum pro clariori Operis intelligentia, ſed ad rectum iudicium tuum habendum pro veritatis defenſione, & huius Dilucidationis, à me in tui vtilitatem elaboratæ manutentione: Nam contrà hoc opus, à me tot ſtudijs, tantiſque laboribus compoſitum, inſurrexit quidam Sacerdos Diœceſis Auerſæ, Octauius Liguorus nominatus (quo liuore, quaue ratione motus ignoratur) prætendens Librum hunc, Librum eſſe bonæ mem: Illuſtriſs. D. Petri Antonij Capoblanchi eius Auunculi, pro vt expreſſit in quadam digreſſione poſita in Libello à ſe impreſſo ſub vulgari titulo, *la Lira Politica*, quod aſſertum merè voluntarium, omninò falſum, & totaliter contra verum, tibi demonſtrare ſum coactus, vt vbicumque fueris, & quocumque tempore de hoc aliquid audire tibi contigerit, vt iuſtus & rectus, pro iuſtitia & veritate reſpondere valeas, cum veritati nemo præſcribere poſſit, non ſpatium temporum, non Patrocinia Perſonarum, non Priuilegium Regionum, vt habet Tertullianus; *De Virg. Veland.* Quod vt euidentius pateat, ipſamet verba eiuſdem contradicentis, licet vulgaris idiomatis, hic adducere decreui, pro maiori tuæ rectitudinis ſatisfactione, cui hoc in iudicio non erit inſudandum, nam quæ aduerſus adducuntur non rationibus, ſed ſuppoſitis ferè omnia innituntur, quibus ſublatis, vt non ſubſiſtentibus, abſque dubio falſitati excidium, veritati verò, quæ ſuper omnia vincit victoria conclamabitur. Poſtquam igitur, hic modernus Scriptor in pag. 46. ſui Libelli carpſit, & improbauit fingentes ſe authores operum aliorum, contrà me ſequentia ſubiungit.

Così appunto accadè l'anno 1689. à mio Zio Monſignor Illuſtriſ-

luſtriſſimo Pietro Antonio Capobianco Veſcouo di Lacedonia, Datario della Sacra Penitentiaria in Roma, doppo la morte della Maeſtà di Chriſtina Regina di Suetia di fel. mem. ſua Protettrice. Il ſudetto Monſig. Illuſtriſſimo haueua compoſto vn Libro ſopra la detta Penitentiaria, poſtoci anche l'Imprimatur, e perche in quell'anno hebbe vna mortale infirmità, perloche morì alli 30. di Ottobre del ſopradetto anno, non fù mai poſſibile ritrouar queſto Libro; dopoi nell'Anno Santo ritrouandomi in Roma nella Stamperia Camerale del Tinaſſi, lo viddi che appunto era ſtato ſtampato in nome di vn Padre di S. Franceſco à Ripa, intitolato: Dilucidatio Facultatum Minorum Pœnitentiariorum Baſilicarum &c. *elaborata à P. Syro Placentino Ordinis Minorum Strict. Obſeru. Prouinciæ Bononiæ Lect. Emer. &c.* hæc ipſe Scriptor aduerſator quo ad partem.

Sed quis eſt qui poſſit reſiſtere Veritati, quæ deprimi quidem poteſt, ſed non opprimi, quæ ſuis radijs victricibus, ſolis adinſtar omnes tenebras paſſionum, omnemque caliginem falſitatum diſſipare valet, ac deſtruere? Solus Titulus Libri mei benè perpenſus & comparatus Operi præfati Prælati, totum penitùs euertit, quod hic aduerſator ſupponit, & imprimere non erubuit, vt quod ſuum non erat, ſed alienum, Auunculo ſuo adiudicaret. Scripſit quidem hic Dominus meus, & Librum vnum (quem in manibus habeo, & obtinui à benignitate Eminentiſs. D.Cardinalis Colloredi Maioris Pœnitentiarij) compoſuit, ſuper Sac.Pœnitentiariam Romanam, cuius ipſe Datarius fuit: Sed quæ eſt iſta Sacra Pœnitentiaria Romana, in qua ipſe Datarius fuit, & ſupra quam Librum compoſuit? Certè non niſi ipſum Tribunal Pontificium, à Sanctitate Sua Eminentiſs. Maiori Pœnitentiario, cæteriſque Illuſtriſs. Prælatis eiuſdem Tribunalis concreditum, vndè & Sac. Pœnitentiaria Romana communiter appellatur: Supra hanc ipſe ſcripſit, & de facto, vt in illius Libro apparet, primò agit de Supremo hoc Tribunali Romano; indè de Maiori Pœnitentiario; de Regente, & cæteris Officialibus Tribunalis; de Facultatibus, & modo recurrendi ad hoc Tribunal, &

ſimi-

Google

ſimilibus; extendens in fine vnum Cathalogum omnium Maiorũm Pœnitentiariorum à principio vſque ad præſens: De hac Pœnitentiaria, de hoc Tribunali, & de his materijs agit Dominus meus Capoblancus in ſuo manuſcripto, vt ab omnibus videri poteſt. At quod Liber huius Prælati, ſit opus à me factum, & ſub nomine meo in lucem editum, hoc numquam ab vllo ſanæ mentis, abſque palpabili falſitate dici poteſt, nec poterit, cùm de quibus ille agit & pertractat in ſuo, nihil penitùs agatur, nihilque pertractetur in meo: Teſtes huius veritatis ſtudioſè Lector, hic in fine videre poteris, qui collatione facta inter ipſos Libros, verum à falſo diſcernere potuerunt, & illud cæteris atteſtari pro veritatis defenſione, & manutentione non recuſarunt. Teſtes ſunt præelecti ac deputati, tam ab Eminentiſs. D. Cardinali Maiori Pœnitentiario, quam à Superioribus Generalibus Ordinis, vt omni exceptione maiores, qui veritate perſpecta, & omnimoda diuerſitate inter manuſcriptum vnius, & Librum impreſſum alterius reperta, non ſolum Vrbi, ſed & Orbi vniuerſo teſtimonium dant, perhibent, & impertiuntur, imaginem vnius non apparere in Libro alterius, imò taliter inter ſe diſcrepare, vt neque in obiecto, neque in materia, neque in forma, neque in ſtylo, neque in ordine, neque in alia re minimam habeant conuenientiam aut ſimilitudinem.

Quid ad hæc reſpondebit D. Liguorus? audebit adhuc, quæ falſa ſunt vera oſtendere, & quæ vera ſunt falſa demonſtrare? melius perpendat Librum meum, & illius peruicacia ceſſabit. Ipſum reuoluat de Capitulo in Capitulum, & de pagina in paginam, & poſtea reſpondeat ad interrogata: In Libro ſui Auunculi, vbi ſunt nouem Quæſtiones Prœmiales, non ad Tribunal, ſed ad Minorem Pœnitentiarium pertinentes, quas operi meo præmitto? Vbi ſexaginta, & ſex Dubia, quæ in ſex Capitibus Libri mei examinantur, & reſoluuntur, pro Dilucidatione Facultatis eiuſdem Pœnitentiarij? Vbi Praxis, ab eodem Minore Pœnitentiario in ſuo miniſterio & executionibus obſeruanda, quam in ſecunda Parte Libri mei ex profeſſo, & luculenter demonſtro? Dicat, Reſpondeat vbi

hæc

hæc ſint, vbi legantur, vbi reperiantur, cum ex his tantum Liber meus componatur? Operam, oleumque perdes, Benigne Lector, ſi ſuper his reſponſum verum expectare volueris: Percurre Librum meum, & quidquid in ipſo legere, & videre tibi contigerit, ſcias, & pro certo habeas nihil omninò haberi aut videri poſſe in alio, vt Teſtes infraſcripti fideliter atteſtantur. Vndè ergò hæc identitas Librorum euulgata, ſi in materia, ſi in forma, ſi etiam in ipſo ſubiecto ita ſunt diuerſa, vt inter ſe totaliter diſcrepent, nec in minimo conueniant? Aberrauit in hoc D. Liguorus: digreſſus eſt à veritate, ideò in vna digreſſione reſtrinxit, & clauſit ſuas fallacias, ne detegerentur ab inſcientibus machinam: Veritatem ſupprimere voluit, ſed veritas ipſa, quæ omnia vincit, fallacias ipſas detexit, & indicauit.

Excuſari tamen poſſet, ſi mereatur, eo quod Librum meum ſolum vidit in Typographia Camerali Tinaſſij, vt ipſe ait, impreſſum quidem ſed nec ordinatum, nec conglutinatum, & tam citò illius Titulum legendo pertranſijt, vt ſtatim oblitus fuerit me eſſe Pœnitentiarium Sanctitatis Suæ apud S. Ioannem Lateranum; meamque Dilucidationem eſſe de Facultatibus Minorum Pœnitentiariorum Baſilicarum Vrbis, non Baſilicarum extra Vrbem, quæ duo ſub duobus &c. occultauit, & ſuppreſſit: Poſſet inquam excuſari, niſi veritas ipſa calliditatem etiam in hoc detegeret: tacuit enim illa duo, quamuis expreſſa in titulo meo, ne à ſapientibus, & prudentibus, ex ſola tituli inſpectione ſuſpectus de fallacia haberetur, nullaque fides dictis eius præſtaretur, dum de Miniſtro publico Sanctitatis Suæ, indignitas talis nunquam ſit præſumenda: Tacuit illa duo, & callidè tacuit, vt ſic extincta, & obliuione deleta, facilius vna cum honore legitimi Authoris, etiam veritatem operis opprimere poſſet, & ſepellire: Duo hæc aſſerta; Candide Lector, quantum rationi ſint conſentanea, quantumque in veritate fundata, iuſtitiæ tuæ ſatis aperta eſſe poſſunt, cum oculis pateant; Aliter ex oppoſito, duo abſurda ſeu miracula valde mirarentur: vnum, tantam virtutis poteſtatem in me extitiſſe, vt Librum alterius typis dare value-

valuerim, abſque vlla, nec quidem minima eiuſdem Libri cognitione; Aliud D. meum Capoblancum, tanta ſubtilitate fuiſſe dotatum, vt Minorum Pœnitentiariorum facultates ſibi ignotas, & inuiſas, vt officio ſuo inutiles, & ſuperuacuas, nec in ſuo Libro deſcriptas, diilucidare potuerit, & explanare; Quomodo hæc fieri potuerint, prudentis Lectoris iudicio remittuntur; Interim tranſeamus ad clariora argumenta, & mittamus falcem ad radicem prætenſionis: Audiatur tamen prius quid ſubiungat D.Liguorus in ſua digreſſione à veritate ſemper aliena.

Il qual Libro fù venduto al ſudetto Padre da Antonio Capobianco quale l'haueua pigliato nell'eredità, ritrouando ſi in caſa di detto Monſig. Illuſtriſsimo, nella ſua morte, e lo venderono al detto P. Sirio, il quale era amico di detto Monſig. Illuſtriſsimo, e ſapeua il tutto, benche nel Iſtromento di tranſatione col detto Antonio, Ottauio, & altri aſſerti de Capobianchi, ſtipolato per li Atti del Succeſſòr del Sabatuci Notaro A. C. adì 14. *Decembre* 1690. *in Roma, da me come Procuratore della Signora Catarina Capobianca mia Madre, & Erede del detto Monſignor Illuſtriſsimo mio Zio, li haueſsi dato il commodo di farlo ſtampare, ne perciò ſi diede licenza venderlo, tanto più che molte volte mi fù addimandato da Monſig. D. Girolamo Berti, da parte dell'Eminentiſs. Sig. Cardinale Colloredo, Superiore della detta Sac. Penitentiaria. Io perche lo conobbi, per hauerlo copiato, reſtai fuori di me ſteſſo, e à queſto propoſito ſono famoſe le doglianze eſpreſſe da Virgilio, Sic vos non vobis &c. e per concludere con Salomone Prou.*4. *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior*. Sic terminat hic aduerſator.

Sed quale fuit principium huius impoſturæ, talis eſt etiam illius finis, cum quidquid hic ſupponatur, à D.Liguoro, ſimiliter totum aduerſetur veritati, ſitque abſolutè falſum. Conatur perſuadere Librum D. mei Capoblanchi fuiſſe mihi venditum; vix tamen de hac venditione loqui incipit, & illicò ſibi contradicit. Venditorem Libri priùs declarat D. Antonium Capoblancum, & poſtea plures innominatos ſup-

 ponit

ponit venditores dicens in plurali: *e lo venderono al detto Padre Sirio*: ſi vnus vendidit, quomodo plures vendiderunt? ſi plures, quomodo vnus vendidit? Varius eſt aduerſator in ſuo dicto; ſibi contradicit, non veriſimile profert, & euulgat, ideò falſum præſumitur quod audet dicere, vt eſt tritum in iure. Quæ contradictio nec diſiuncta reperitur à callidítate, & aſtutia ad fallaciam magis occultandam, dum D. Antonium iam defunctum, nomine, & cognomine proprio exprimit, cum loqui non valeat, & veritatem aperire; alios verò, quos in vita ſupponit, innominatos relinquit, & præterit, ne quæſiti, & inuenti, teſtimonium perhibeant de veritate. En calliditas & aſtutia, ſed infructuoſa, & ad finem prætenſum nullius emolumenti. Quomodo enim D. Liguorus probare poterit hanc emptionem ſuppoſitam? Fuitne ipſe præſens tali venditioni? Si præſens fuit, quare eidem non reſtitit vigore inſtrumenti tranſactiònis à ſe relati? Quare contra hæredem Libri non reclamauit? Quare commodum à ſe illi datum pro Libri impreſſione repetere non curauit? Quare contra emptorem de nullitate contractus non edixit? Quare de hac venditione, vt reſcinderetur, nullum penitus verbum fecit? Fatetur non fuiſſe præſentem? dicat ſaltem quis ſibi hanc emptionem indicauerit? Dicat circumſtantias loci, temporis, pretij &c. quas relator ſibi expreſſerit ad ſuum dictum comprobandum? Quod ſi ad rogata nihil reſpondere valeat, ſicut verè non valet, emptionem à ſe ſuppoſitam voluntariam, & aeream omnes iudicare tenentur, cum nulla ex parte realis & ſubſiſtens appareat, aut approbetur, & tamen vt habent iura, probare oportet, nec ſufficit dicere.

Aliter procedit veritas ipſa, quæ non odit, ſed diligit lucem, vt manifeſtentur, & non abſcondantur opera eius; cum eidem ratio ſemper aſſiſtat, firmas & euidentes exhibet probationes, quas D. Liguorus non dedignetur attendere, ſi veritatem etiam cognitam nolit impugnare: Librum compoſitum à Domino meo Petro Antonio Capoblanco defuncto anno 1689. habuiſſe D. Antonium Capoblancum per conuentionem ſeu tranſactionem, negari non poteſt: Poſt mortem

tem

tem eiuſdem Domini mei, præfatum D. Antonium, quo ad vſque vixit, ſemper apud ſe conſeruaſſe dictum Librum, & in morte ſua circa annum 1696. ipſum reliquiſſe ſuis hæredibus, ſimiliter negari non poteſt: D. Ioannem Baptiſtam Capoblanchum, vna cum D. Balthaſare, filio & hærede D. Antonij liberaliter obtuliſſe, ac donaſſe prædictum Librum Eminentiſſimo, ac Reuerendiſſimo D. Leandro Cardinali Colloredo Maiori Pœnitentiario, vt continentem materiam ſpectantem ad ipſius Tribunal, circà annum 1698. ita verum eſt, vt nulli detur locus dubitandi: Apud Eminentiam Suam ſemper cuſtoditum fuiſſe, nec vlli vnquam concreditum præfatum Librum, à die donationis vſque ad præſens, niſi poſt notitiam huius impoſturæ, quem mihi ſupplicanti benignè conceſſit ad veritatem aperiendam, & ad conferendum vnum cum alio Libro, pariter certum eſt, ac indubitatum: En veritas in ſua puritate: En veritas in ſua ſimplicitate, extrà omne dubium, & omnem fallaciam, vt apertè, & ad ſatietatem videri poteſt ex atteſtationibus in fine poſitis tam nomine Eminentiæ Suæ, quam Illuſtriſſimi Domini Hieronymi Berti, & DD. Ioannis Baptiſtæ, & Balthaſaris de Capoblanchis: His ergo poſitis, & pro certo habitis; quis vendidit Librum huius Prælati, & P. Syro vendidit? vbi facta fuit talis venditio? quo tempore? quo pretio? quibus pecunijs ſoluta? daturne titulus, daturne ratio, daturne teſtis, aut ſcriptum, per quod probari poſſit venditio talis? deſiderari quidem poſſunt, ſed non inueniri à fide dignis, quorum animus ſicut abhorret à fallacijs, ita ſemper paratus eſt ad fauendum veritati, ſicut in hoc caſu experitur: Nam ſola atteſtatio vnius Eminentiſſimi ſatis eſt ad confundendum, ad conuincendum, ad condemnandum audentem tueri hanc falſam venditionem, cum teſtis ſit non tantum omni exceptione maior, ſed etiam maximus: Teſtimonium D. Berti, de Libro, & de facta donatione pluſquam edocti, magis euertit fallaciam huius contractus, cum ſit teſtis omni exceptione maior, & in Orbe notus: Confeſſio atteſtata DD. Ioannis Baptiſtæ & Balthaſaris de Capoblanchis, qui Librum hæreditarunt, & liberaliter

donarunt, penitùs euertit falſitatem venditionis, cum nec clarior, nec efficacior probatio haberi poſſit ipſa confeſſione, non vnius tantum, ſed vtriuſque qui Librum dono dederunt : Si igitur, in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum, vt ex Euangelio; & duo tantum teſtes conteſtes, omni exceptione maiores, plenè probant factum, & reum condemnant, vt communiter Doctores, quomodo falſum non erit ſuppoſitum D. Liguori de Libri venditione, & ipſe reus de calumnia eadem de cauſa, dum ſic euidenter conſtat de eiuſdem Libri donatione facta Eminentiſſimo Maiori Pœnitentiario, non P. Syro Placentino.

En prudens & candide Lector, quam verum ſit dictum illius Sapientis, qui veritatem filiam eſſe temporis aſſerebat, eo quod ab ipſo tempore in lucem edatur : deprimebatur veritas Libri mei, & vt citò opprimeretur illius memoria, omnia ſtudia diligenter præſtabantur; in vanum tamen laborauit, qui in hac malitia totus erat: nam tempus ipſum omnem artem illicò illuſit; Librum, & Libri Hæredem inuenit, donationem patefecit, emptionem, & venditionem euertit, omnem machinam deſtruxit, & ipſam veritatem in ſuo candore omnibus manifeſtauit; quod impugnator veritatis, dum ſcribebat, aduertere tenebatur, ne dum illi, & mihi obtrectare non erubeſcebat, tractu temporis, veritate patefacta, maiori rubore ſuffunderetur. Hæc quoad falſam libri emptionem, & venditionem.

Cui falſo ſuppoſito, diſſimile non eſt etiam aſſertum quod ſequitur, nempè D. Bertum multoties, & ad inſtantiam Eminentiſſimi Domini Cardinalis Colloredi, expoſtulaſſe dictum Librum à D. Liguoro, vt legitur in fine impoſturæ: Oppoſitum tamen teſtatur pro veritate idem D. Bertus in ſua atteſtatione infra poſita, cui magis fides habenda eſt, quam viro qui quidquid ſcribit in hoc facto, à vero ſemper abeſt, vt ex vſquè modo dictis manifeſtè patet; maximè cum nec veriſimile appareat, quod ſic liberè ſupponit: quid enim mouere poterat Eminentiam Suam ad hunc Librum inquirendum? Numquid vt addiſceret ſuam facultatem? Vt ſciret numerum

& mi-

& miniſterium Officialium Tribunalis, vt perciperet modum recurrendi ad Tribunal, ſtylum concedendi gratias, & ſimilia de quibus in dicto Libro pertractatur? Antiqua & moderna documenta Sacri Tribunalis ſunt penes Eminentiam Suam, nec indiget alienis ſcriptis ad talia ediſcenda, ſicut ad ſcribendum de ipſo Tribunali egent alij illius benigno auxilio ad vera monumenta perluſtranda; Vnde quis cenſebit veriſimile in hac parte ſuppoſitum; Imò, quis pariter inueriſimile non iudicabit D. Bertum, Virum in Vrbe & in Orbe notum, cuius opera Sacra Pœnitentiaria per ſpatium quadraginta annorum & vltrà, ſemper vſa eſt, & vtitur, pluries petijſſe hunc Librum, vtique pro ſua inſtructione, qui doctus ſcientia & experientia, alios docere valet, quæ ſpectant ad Sacrum Tribunal? mirum ſanè! In manibus D. Liguori, nunquam fuit Liber, de quo agitur, è viuis ſublato eius D. Auunculo: Non poſt illius tranſitum, quia tunc nunquam potuit inueniri, vt ipſe fatetur in impoſtura: Non ante inſtrumentum tranſactionis, quia D. Antonins Capoblanchus ipſum acceperat in hæreditate, vt ipſemet ibidem fatetur: Neque poſt dictum inſtrumentum, quia tunc fuit relictus eidem Domino Antonio pro parte ſuæ hæreditatis, vt de ore ſuo ibidem: Quomodo igitur D. Bertus potuit pluries hunc Librum ab ipſo petere, cum eum non lateret è manibus D. Antonij nunquam fuiſſe dimiſſum? Poſtulatur Liber, & pluries poſtulatur à non habente, & non poſtulatur ab habente cognito & familiari? Quæ credibilitas, quæ probabilitas, quæ veriſimilitudo in hoc aſſerto? nulla penitùs: Igitur cenſendum eſt nec verum, nec veriſimile, cum præſeferat imaginem falſitatis, nam quod veriſimile non eſt, præſumitur falſum, & Teſtes deponentes non veriſimilia præſumuntur falſi, & illis ex iuſta cauſa non creditur, vt ex iuribus Commun.

Alia ſimiliter poſſem producere, Beneuole Lector, ad hanc veritatem tibi magis aperiendam, falſum oſtendendo quidquid etiam ſupponitur, ab eodem aduerſario de illo *imprimatur*, de commodo dato pro Libri impreſſione; de Libri exemplo quod ſe iactat edidiſſe, de arcta amicitia inter me, &

eius

cius Auunculum, & de alijs &c. Sed honor Religionis meæ læſus, obſeruantia Sacræ Pœnitentiariæ offenſa, dignitas & reuerentia Eminentiſſimi Maioris Pœnitentiarij imminuta, & violata in perſona ſui Subditi & publici Miniſtri, mihi ante oculos obuerſantur, & me ad ſe trahunt, ac illa remittere ad atteſtata infrà poſita hortantur, ſicut ipſa remitto, videnda tamen à ſtudioſo Lectore, ac perpendenda.

Pro quorum ſatisfactione, dubitabitne D. Liguorus, an in conſcientia teneatur ijſdem ſatisfacere ad æqualitatem offenſæ, cum tam euidens, tam publica ſit læſio, & calumnia illata? Omnibus datur illud mandatum per Eccl. 41. curam habe de bono nomine. Omnibus præcipitur illud Prou. 5. Ne des alienis honorem tuum, ſicut & ipſe Dominus zelator eſt honoris ſui, vt per Iſaiam 42. Gloriam meam alteri non dabo. Omnibus intimatur tritum illud axioma iuris, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum: Ab omnibus reſoluitur, radicem reſtitutionis eſſe læſionem factam proximo contra iuſtitiam tam in ſubſtantijs, quam in rebus ſpiritualibus, ſicut fatetur & docet etiam idem D. Liguorus in ſuo Libello pag. 83. ſub his verbis: *Il noſtro Saluatore c'inſgna à naſcondere l'altrui mancanze, per non pregiudicare alla riputatione e fama degli altri; e oltre all'eſſere precetto diuino diremo con S. Agoſtino, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Per hanc ſanam & veram doctrinam, quam & ipſe cum alijs alios docet, agnoſcetnè ſuum debitum ſatisfaciendi læſis, & reſtituendi honorem, quem iniuſtè & publicè detraxit? Certè ſi documentum Saluatoris eſt, occultare defectus aliorum ne eorumdem fama & exiſtimatio lædatur, multò magis eiuſdem Saluatoris erit præceptum non lædere innocentem illius famam offendendo, & honorem denigrando, cum in hoc caſu non detegatur occultus proximi defectus, ſed abſque cauſa excogitetur, impingatur & publicetur delictum ſui proximi nec factum, nec cogitatum: Quæ igitur, & quanta erit obligatio D. Liguori, qui hanc calumniam adinuenit, impinxit & publicauit? Si non dimittitur vnum, niſi aliud reſtituatur,

ipſe

ipſe viderit coram Saluatore iuſto Iudice, qui nec falli, nec fallere poteſt &c.

Hæc ſunt, Studioſe Lector, quæ in conſpectu tuo ponere in principio propoſueram, vt oculi tui videntes has æquitates, de vultu tuo iudicium meum prodire glorietur. Habes hic inter alia, Librum compoſitum à D. meo Capoblanco, agere de Sacra Pœnitentiaria, non de facultatibus Minorum Pœnitentiariorum modernorum, conſequenter eſſe totaliter diuerſum à meo, cum nec in ſubiecto, nec in materijs conueniant: Habes præfatum Librum ab Hæredibus hæredis Eminentiſſimo D. Cardinali Colloredo fuiſſe donatum, & ab Eminentia Sua nulli vnquam concreditum, niſi pro præſenti caſu; & ſic falſam eſſe venditionem ſuppoſitam: Ex quibus tantum iuſtè inferri poteſt, abſque veritatis fundamento, dici à D. Liguoro, quidquid in Sua Lyra Politica, contra me, & alios excogitauit, diſſeminauit, & obtrectauit: Has veritates rogo, vt attentè conſideres, & non ſemel tantum perpendas, quia veritas pluries examinata magis eluceſcit, vt habent iura, & ſic iuſtitia ante te ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos, cum veritas ſit baſis, fundamentum, ſeu mater Iuſtitiæ, cui omnia cedunt: Iudica igitur me, iuſte, & Candide Lector, & diſcerne hanc cauſam meam, & ab homine iſto veritati contrario, vbicumque fueris, erue innocentiam meam: Secundum quod noueris veritatem, iudica, vt in Orbe Vniuerſo verus Iuſtitiæ Iudex agnoſcaris; nam qui, quod nouit loquitur, Iudex Iuſtitiæ eſt; qui autem mentitur, teſtis eſt fraudulentus, vt inquit Salomon Prou. 11. Atteſtata quæ infra ſequuntur, ne dedigneris accuratè conſiderare, à teſtibus enim prodeunt qualificatis, & omni exceptione maioribus, quorum vigore ſententia tua magis firmabitur, magiſque radicabitur, eodem iudicio ſimul decernendo cui magis iuſtè & de iure hoc in caſu conueniant celebres quærimoniæ à Virgilio expreſſæ: *Sic vos non vobis*, & dictum Salomonis Prou. 9. *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt*, *& panis abſconditus ſuauior*, cum finis & concluſio D. Liguori in ſua digreſſione, nihil differat à præmiſſis, & cæteris ſuppoſitis in veri-

veritate occultanda. Tandem humanitatis tuæ ſit gratia, indulgere mihi moleſtiam, quam tibi afferre potui hac mea ſimplici & inculta reſponſione, omne enim ſtudium fixi, & totus fui in oſtendenda ſimulque defendenda veritate, quæ per ſe ipſam ità pulchra eſt, & formoſa, vt aliorum non indigeat ornamentis; quo enim magis inornata intuetur, eo carior, amabiliorque conſpicitur. Vale, & feliciter Viue.

Pro

Digitized by Google

Pro Veritate Facti.

Atteſtatione del Eminentiſs., e Reuerendiſs. Sig. Card. Colloredo Magg. Penitentiero.

LEANDRO del Titolo de' SS. Nereo & Acchilleo, e della S. R. C. Prete Cardinale Colloredo, Maggior Penitentiero.

ESſendo Noi ſtati richieſti di atteſtare per la pura verità, qualmente il manoſcritto, intitolato: *De Sacro Pœnitentiæ Foro*, in cui anche ſi tratta delle materie di Penitentiaria, e compoſto da Monſig. Pietro Antonio Capobianco di fel. mem., e Datario del ſudetto Tribunale della Sacra Penitentiaria, e Veſcouo di Lacedonia, doppo che ci fù dalli Sign. Gio. Battiſta, e Baldaſſare Capobianco, ſuoi Nepoti, eſibito in dono, circa l'anno 1698. (benche da Noi accettatoſi, per la ſtima conueniente alla virtù dell'Autore, è con cercar di darſi da Noi qualche ſegno della propria gratitudine) ſi è ſempre conſeruato nella noſtra Libraria, ſenza darlo mai fuori, ne participarlo ad alcuno, ſe non in queſto meſe di Marzo del corrente anno 1703. al Padre Fra Siro da Piacenza, della Riforma di S. Franceſco, e Penitentiere della Venerabile Baſilica di S. Giouanni in Laterano, à fine di poter Egli riſpondere ad vna ingiuſta calunnia contro vn Libro, da eſſo Padre compoſto, e publicato, ſotto il titolo; *Dilucidatio Facultatum Minorum Pœnitentiariorum Vrbis*, habbiamo ſtimato molto raggioneuole di farne queſta noſtra ſincera & indubitata teſtimonianza, in proua di che ſarà ſegnata di noſtra mano, munita col noſtro ſolito Sigillo, & ſottoſcritta dal noſtro Segretario. Roma li 25. di Maggio 1703.

L. Card. Colloredo Pen. Magg.

Loco ✠ Sigilli.

Gio. Meſſerotti Segretario.

Atteſtatione dell'Illuſtriſsimi Signori Capobianchi Signor Abbate Giouanni Battiſta, e Signor Baldaſſare.

NOI infraſcritti come figli della bon. mem. delli Signori Conti Ottauio & Antonio Capobianco, e Nepoti Cugini carnali della bon.mem. di Monſig.Illuſtriſs. Capobianchi Veſcouo di Lacedonia atteſtiamo, e facciamo certa, & indubitata fede da preſentarſi in giuditio, e fuori, etiam cum iuramento,quatenus &c.qualmente trà Noi ſottoſcritti,e il Molto Reuerendo Padre Siro da Piacenza Religioſo della Riforma di S. Franceſco, e Penitentiere della Baſilica Lateranenſe, mai vi è ſtata conoſcenza alcuna, ne trattato, ò contratto veruno, ne trà Noi infraſcritti, ne con detto Monſig. Illuſtriſs.

Secondo, che il Libro compoſto, ò manuſcritto in foglio dell'Illuſtriſs.Monſig.Capobianchi Veſcouo di Lacedonia noſtro Zio col titolo: *De Sacro Pœnitent.Foro ſeu Tribunali &c.* eſſendo toccato à noi per tranſattione, e accordo fatto tra D.Ottauio di Ligorio come figlio della Signora Catarina Capobianchi Sorella di detto Monſig. noſtro Zio, come appare per Iſtromento celebrato ſotto il giorno 14. Decembre 1690. per li atti del Succeſſore del Sabatucci Notaro A. C. in Roma, fù da Noi portato e fattone regalo alle proprie mani del Eminentiſſimo e Reuerendiſſimo Signor Cardinale Colloredo nell'anno 1698., incirca,Maggior Penitentiero, come materia ſpettante al di Lui Tribunale; e d'auantaggio atteſtiamo eſſer mera falſità, e bugia, che la bon.mem. del Signor Antonio ò Noi infraſcritti vendeſſimo il Libro al detto Padre Siro di Piacenza, à cui ne meno l'habbiamo noi moſtrato, per non hauerlo mai viſto, ne conoſciuto come ſopra.

Terzo. In tutto il tempo che viſſe Monſig. e Noi ſottoſcritti ſiamo ſtati ſeco habitatori e commenſali, mai habbiamo veduto venire il detto Padre Siro in caſa noſtra, ne ſaputo che foſſe amico di detto Monſig. noſtro Zio, come ne meno veduto, ò ſaputo che il detto Libro di Monſignore foſſe ſtato copiato dal ſudetto D. Ottauio di Ligorio, ne dal

mede-

medemo laſciato il commodo, ò quadrini per ſtamparlo come Procuratore, e come ſi vanta nella *Lira politica* d'hauer laſciato tal commodo, come appare nel foglio 48. le quali coſe, e ciaſcune d'eſſe atteſtiamo eſſere veriſſime, e indubitate di certa ſcienza, come paſſate per le noſtre mani, non ſolo come Nepoti Cugini carnali di detto Monſignore, in virtù di detto Iſtromento di tranſattione, mà anche come cohabitanti in caſa di detto Monſignor ſino alla di lui morte, e moltiſſimi anni prima. In fede &c. in Roma queſto di 15. Maggio *1703*.

Abbate Gio: Battiſta Capobianchi affermo quanto di ſopra mano propria.

Baldaſſarre Capobianchi affermo quanto di ſopra mano propria.

IN Nomine Domini. Amen. Præſenti publico recognitionis manus Inſtrumento cunctis vbique pateat euidenter, & ſit notum quod anno ab eiuſdem D.N.Ieſu Chriſti ſalutifera Natiuitate milleſimo ſeptingenteſimo tertio indictione 11. die vero decima quinta Maij Pontificatus autem Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Clementis Diuina Prouidentia PP. XI. anno eius tertio. In mei Notarij publici, teſtiumque infraſcriptorum præſentes, & perſonaliter conſtituti ſupradicti Illuſtriſsimus D. Abbas Ioannes Baptiſta Capobianchi fil. bon. mem. Co. Octauij, & D. Baldaſar Capobianchi fil. quondam Antonij, ambo Romani, mihi &c. cogniti, eorum ſpontè &c., ac alias omni &c. medio Iuramento tactis &c. recognouerunt, & recognoſcunt, & quiſque ex eis recognouit, & recognoſcit ſupradictas eorum manus, litteras, caracterem, & ſubſcriptionē in forma &c. ſimiles &c. omnia & ſingula in præſenti folio contra, prout continentur, vera fuiſſe & eſſe affirmarunt & affirmant &c. & pro talibus ratificant, approbant, & emologant, & pro ratificatis, & emologatis haberi voluerunt &c., non ſolum &c. ſed & omni &c. ſicque tactis &c. iurarunt &c. ſuper quibus omnibus premiſsis petitum fuit à me Notario pu-

blico infraſcripto, vt vnum vel plura, publicum, ſeu publica Inſtrumentum, & Inſtrumenta præſentis recognitionis manuum conficerem, atque traderem prout opus fuerit, & requeſitus ero. Actum Romæ in Officio mei &c. præſentibus &c. D. Joſepho Viuente fil. quondam Præſidij Romani, & D. Bernardino Bedino fil. q. Octauij Albanen. Teſtibus ad prædicta vocatis, habitis, atque rogatis.

Ego Amicus Abinantes Ciuis Romanus publicus Apoſtolica Auctoritate Cauſ. Cur. Cap. Notarius de præmiſsis rogatus præſens recognitionis manus Inſtrumentum ſubſcripſi, & publicaui requiſitus &c.

Loco ✠ Sigilli.

Nos ad præſens Cameræ Almæ Vrbis, Inclitique Populi Romani Conſeruatores Vniuerſis &c. Fidem facimus, atque teſtamur ſupradictum D. Amicum Abinantem Ciuem Romanum de præmiſsis rogatum, eiuſque manu ſubſcriptum, & publicatum, eſſe publicum, legalem authenticum & fide dignum Notarium noſtræ Curiæ Capitolinæ; ac talem qualem ſe ſupra fecit, ſcripturiſque ſuis tam publicis, quam priuatis in iudicio, & extra ſemper adhibitam fuiſſe, & de præſenti adhibeatur, fidem. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex ædibus noſtris hac die 15. Maij 1703.

Pro D.Sec.Nob.Colleg.DD.Not.Cur.Cap.

Matthæus Cappettus. In fidem &c.

Loco ✠ Sigilli.

Atte-

Atteſtatio Illuſtriſs. D. Hieronymi Berti Sacræ Pœnitent. Secretarij.

OMnibus & ſingulis, præſentes litteras viſuris, lecturis, & inſpecturis, ego infraſcriptus omni meliori forma, qua poſſum, fidem facio ac atteſtor, Librum in lucem editum Romæ anno 1699. cuius titulus, *Dilucidatio Facultatum Minorum Pœnitentiariorum Baſilicarum Vrbis*, de ordine fel.rec. Innocentij Papæ XII. mihi dato, & infraſcripto Patri manifeſtato, fuiſſe compoſitum ab A. R. P. Syro Placentino Pœnitentiario Apoſtolico apud S. Ioannem Lateranum ad inſtructionem Pœnitentiariorum præſertim extraordinariorum pro anno Iubilæi, iuſteque, vt par erat, ſub nomine ſuo proprio fuiſſe impreſſum: Cum enim huius operis curam ſuſcepiſſem, & vt iuxtà deſiderium Sanctitatis Suæ abſolueretur, inuigilarem, multoties ipſum Patrem adiui, circa opus laborantem vidi, quæ laborata erant luſtraui, magis dubia ſecum examinaui, & ſæpè quod per totam hebdomadam compoſuerat, ſub cenſura mea habui, ità vt quaſi de toto opere, dum fiebat, & poſtquam fuit abſolutum, vt teſtis ocularis, de hac veritate teſtimonium perhibere in conſcientia tenear, ſicut ab eodem P. Pœnitentiario rogatus, his meis litteris perhibeo, ac atteſtor. Vnde falſa, & calumnioſa cenſenda eſt ab omnibus ſuppoſitio, quæ legitur in Libello typis dato à D. Octauio Liguoro ſub titulo, *La Lira Politica*, quod ſcilicet præfatus P. Pœnitentiarius impreſſerit Librum ſibi venditum, compoſitum à bon.mem.D.Petro Antonio Capoblancho, cum Liber huius Prælati nulli vnquam fuerit venditus, ſed liberaliter oblatus & donatus Eminentiſſimo ac Reuerendiſſimo D. Cardinali Colloredo Maiori Pœnitentiario à DD. Ioanne Baptiſta & Balthaſare de Capoblanchis, in quorum manibus remanſerat poſt mortem D. Antonij Capoblanchi, vigore conuentionis & tranſactionis inter ipſos & ipſum Liguorum factæ & ſtipulatæ, de quibus plenè ſum edoctus, & informatus; tantaque ſit inter vnius & alterius Librum diſſimilitudo & differentia, vt nunquam verificari poſſit, impreſſum ab vno, eſſe

exem-

exemplum, ſeù exſcriptionem alterius, ſicut per collationem à me factam vnius Libri ad alium perfectè noui, & omnibus eodem modo patere poteſt. Pariter cenſendum eſt voluntarium, non verum, quod ibidem ſubiungit; pluries me ab ipſo Liguoro præfatum Librum petijſſe nomine Eminentiſſimi D. Cardinalis Colloredi Maioris Pœnitentiarij, cum ab Eminentia Sua commiſſionem talem nunquam habuerim, & ſine qua hoc attentare auſus non fuiſſem, nec tali Libro ipſa indigeret, neque mihi opus eſſet, cum aliundè haberemus quæ in illo traſcripta leguntur. Sic pro veritate atteſtor &c. in quorum fidem &c. hac die 30. Maij 1703.

Ita teſtor ego Hieronymus Bertus Sacræ Pœnitentiariæ Secretarius.

Loco ✠ Sigilli.

Atte-

Atteſtatio Reuerendiſſimi P. Caroli Franciſci Vareſij Ex-Commiſſarij Generalis Ciſmontanæ Familiæ, Sacræ Indicis Congregationis Conſultoris, Sancti Officij Qualificatoris, Lectoris Emeriti, & Sacræ Pœnitentiariæ Lateranenſis Præſidis Ordinis Minorum Strictioris Obſeruantiæ, ab Eminentiſſimo & Reuerendiſſimo D. Leandro Cardinali Colloredo deputati ad collationem Librorum faciendam.

APpenſo iam à me in ſtatera Libro P. A. R. Syri Placentini, cuius titulus *Dilucidatio Facultatum Minorum Pœnitentiariorum &c.* & in illo pro impreſſione exuberanti pondere inuento, adeoque luci vtiliter tradito, iterum tum zelo iuſtitiæ, tum Superiorum iuſſu librare cogor eumdem, pro vindicanda calumnia, quam in Authorem nuper impegit in ſua Lyra Politica D. Octauius Ligorius, ſcribens, aliena veſte indutum P. Syrum in publicum prodijſſe, eamque vel furatum eſſe Illuſtriſſimo Domino Petro Antonio Capoblancho, vel ab iſtius hæredibus comparaſſe. O execrabile mendacium! Manuſcriptum Illuſtriſſimi Capoblanchi apud Eminentiſſimum Cardinalem Colloredum adhuc ſeruatur intactum, & pro veritate patefacienda fauit illud commodare luſtrandum, conferendumue. Itaque collatione peracta, ingenuè fateor, tantum abeſſe, vt hæc opera inter ſe conuenientiam habeant, quin vel leuiter intuenti toto cælo differre noſcantur; ita vt valeat dici cum Hieronymo ad Pamachium in ſimili. *Comparet vnuſquiſque manuſcriptum impreſſo, & liquido peruidebit quantum diſtet inter veritatem & mendacium.* Sciat igitur Vniuerſus Orbis, ſeù quicumque audierit raucum Lyræ Ligoricæ ſonum, P. Syrum, obtemperando Pſalmiſtæ, nec vidiſſe furem, nec cucurriſſe cum eo: nec rapinam arbitratum eſſe *Dilucidationis* ſe venditare Authorem; quia ſemetipſum contriuit, formam laborantis

Ca 3. p. 46

Epiſt. 51.

Pſalm. 49

Phil. 2.

rantis

rantis accipiens, in ſimilitudinem factus realium compoſitorum, & vt talis in conſpectu Orbis inuentus. Sciat talem eſſe participationem vnius Libri cum al-
2.Cor.6. tero, qualis eſt iuſtitiæ cum iniquitate; talem ſocietatem, quæ eſt lucis ad tenebras; talem conuentionem, quæ eſt Chriſti ad Belial; vno verbo, talem ſimilitudinem, quæ eſt nigri ad album. Sciat Opus Illuſtriſſimi Capoblanchi fuiſſe collectum, tum pro ſui notitia ad munus Datarij, quo in Sacro Pœnitentiariæ Tribunali fungebatur, rectè exercendum; tum pro aliorum Miniſtrorum regula; innumera enim pertinent ad huiuſcemodi Tribunal (præter Dilucidationem Facultatum Minorum Pœnitentiariorum modernorum, de quibus, nec verbum habet, imò nec ipſas facultates à P. Syro dilucidatas, recenſet idem Prælatus) quæ vnumquemque miniſtrum decet perfectè callere. Quare nemo inficiari poterit, D. Octauium ſeſe conſtituiſſe reddendæ famæ P. Syro debitorem, iuxta
Cap.13. illud Prouerbiorum: *Qui detrahit alicui, ipſe ſe in*
Ad Phil.4 *futurum obligat*. Item præceptum eſſe Apoſtoli, *Cogitare quæcumque ſunt bonæ famæ*, alias Deus pacis
Matth.5. non erit cum illo. Item Chriſtum damnaſſe illum, *qui fratri ſuo dixerit*, *Raca*. Vbi Monochius: *Significat æterna morte puniendum eum, qui in proximum ſuum non fuerit veritus iacere verba contumeliæ*. Et quæ maior contumelia, quàm viro publico, eximij nominis Pœnitentiario, Religioſo Strictiori Minorum Obſeruantiæ adſtricto, notam *vſurpatoris* rei alienæ, vel *emptoris* alieni laboris, cum ſuæ profeſſionis tranſgreſ-
2.Reg.14. ſione inurere? Retractet ſe igitur, neceſſe eſt, ne penitùs pereat. Neque dicat cum Oratio Gentili: *Ne-*
Eccl. Dō. 3. poſt Paſch. *ſcit vox miſſa reuerti*; quia ſi *chriſtiana profeſſione cenſetur debet illa reſpuere*, *quæ Chriſtiano inimica*
De Reg. Iur. in 6. Regul.4. *ſunt nomini*; conſcentiæ ſuæ conſulere; reddere vnicuique, quod ſuum eſt; & reminiſci communis Canoniſtarum adagij: *Non remitti peccatum, niſi reſtituatur abla-*

ablatum. Ignoſco quod Sciolus videri voluerit, & Patrui ſui memoriam laudabilem reddere, ſed carpendus obiurgatione laudati Hieronymi, quod *in laude illius, & in vituperatione alterius nimius ſit, nec meritum operis, ſed ſuum ſtomachum proſequatur*. Saniori certè conſilio abſtinuiſſet Pythonem Saulis agere, ex quo non arctabatur ad pugnam, vt Saul; nec Philiſtijm contra ipſum caſtrametati erant. Vnde tanquam Samuel videtur effari Prelatus: *Quare inquietaſti me vt ſuſcitarer? Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*, ac ſinere illos in pace quieſcere; & Apoſtolicum eſt, *nolle ad iracundiam prouocare viuentes*. Ita conſtanter aſſerebam & tota ſinceritate teſtabar ex Collegio Apoſtolico Pœnitentiariorum Lateranenſium die 17. Aprilis 1703.

Vbi ſupr. 1. Reg. 28. 2. Mac. 12. Ad Eph. 4.

F. Carolus Franciſcus Vareſius &c.

Loco ✠ Sigilli.

Atteſtatio A.A.RR.PP. Pœnitentiariorum S. Ioannis Lateranen. Alexandri à Grabedona, Franciſci à Barchinona, & Eutropij Galli Sac. Theol. Lect., qui de ordine Eminentiſſimi D. Cardinalis Maioris Pœnitentiarij inter Libros collatione facta quid ſit ſentiendum iudicarunt.

Pſal. 84. ORta veritate de terra, & iuſtitia proſpiciente de Cælo, illa, nedum Superiorum mandatum, Nos impellit innocentiam defendere, iſta mendacium redarguere, cum vtramque turpiſſimè lædat D. Octauius Liguorus in ſua *Lyra Politica* Neapoli nouiſſimè impreſſa, quæ melius profectò ſemper conticuiſſet, quàm ſonum tam exoſum ſemel dediſſet. Obſtrepit enim contra A.R.P. Syrum de Placentia Auctorem Libri, cuius titulus: *Dilucidatio Facultatum Minorum Pœnitentiariorum Vrbis &c.*, eidemque imponit notam *vſurpatoris* alieni laboris, vt potè qui volumen ex diuerſis lacinijs materierum ad Sacrum Pœnitentiariæ Tribunal ſpectantium, quondam ab Illuſtriſſimo Domino Petro Antonio Capoblancho Auunculo ſuo compactum, per fas & nefas ſibi appropriare, ac ſuo ſub nomine typis publicare voluerit. Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſtamus, quia non cadet de calamo noſtro verbum diſſonum veritati. P. Syrus *ſuæ Dilucidationis* lucernam accendit, & poſuit eam ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo Dei ſunt; & de facto ſic lucet coram hominibus, vt videant opus ſuum bonum, & glorificent Patrem cæleſtem, qui diuinum lumen ei ad idem opus infudit. Illuſtriſſimus verò Capoblanchus reliquit lucernam ſuam ſub modio, non tamen adeò abſconditam, quin luſtrari potuerit, & differentia inter vtramque diſcerni. Collatio facta ad oculos demonſtrat, nullam eſſe conuenientiam in

Cap. 5. p. 46.

Matth. 5.

obie-

Digitized by Google

obiecto, nullam in materia, nullam in forma : nulla quidem comprehenditur in obiecto, cum altera ad inſtruendos modernos Pœnitentiarios vnicè tendat, alia Vniuerſos Tribunalis Miniſtros de ſuo munere reſpectiuè moneat. Nulla cognoſcitur in materia, cum illa ſit doctrinalis, & ferè ſpeculatiua, iſta hiſtorialis, & totaliter pratica: Nulla apparet in forma, cũ prima procedat per ordinatas propoſitiones, & reſolutiones dubiorum, ſecunda per confuſam narrationem Officiorum. Iudicet ergò vnuſquiſque cordatus, quantum declinet à iuſtitia, quantum diſtet à veritate Liguorus. Et ſi per Prophetam aduertimur, hæc eſſe ſtrictiſſima mandata, & teſtimonia Dei, Iuſtitiam, & Veritatem cuſtodiri nimis; & per Eccleſiaſticum, agonizandum eſſe pro Iuſtitia, certandumque pro veritate; Nos in hoc agone, in hoc certamine poſiti, pro veritate & iuſtitia fatemur, D. Octauium teneri de aperto mendacio, ac exploratâ iniuſtitia, de quibus ſatisfacere debet, ni velit in æternum perire. Ex Collegio Apoſtolico Pœnitentiariorum Lateranen. die 12. Maij 1703. Pſal. 18. Eccl. c. 4.

Ego Fr. Alexander à Grabedona Reuiſor, & Pœnitentiarius manu propria.

Ego Fr. Franciſcus à Barchinona Reuiſor, & Pœnitentiarius manu propria.

Ego Fr. Eutropius Gallus Reuiſor, & Pœnitentiarius manu propria.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Petrus à Limano Secret. Gener. Curiæ.

Atteſtatio AA. RR. PP. Franciſci à Roma, Ludouici à Mutina, & Hieronymi à Monte Furtino, Lect. Emer., qui ex commiſſione Reuerendiſs. Patris Cherubini de Nardò Commiſſarij Generalis Ciſmontanæ Familiæ Minorum, tàm Obſeruantium, quàm Reformatorum collatione facta inter Libros iudicium proprium dederunt.

NOs infraſcripti ex commiſſione Reuerendiſſimi Patris Cherubini de Nardò Commiſſarij Generalis Reuiſores Librorum A. R. P. Syri de Placentia Lectoris Emeriti Min. Reform. cui titulus *Dilucidatio Facultatum Minorum Pœnitentiariorum Baſilicarum Vrbis*, ac Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Petri Antonij Capoblanchi *de Sacro Pœnitentiæ Foro, ſeu Tribunali*, facta inter vtrumque Librum collatione, in Domino atteſtamur, in nullo conuenire, neque in proœmialibus, neque in capitulis, neque in obiecto; namque primus agit de Minori Pœnitentiario, ſecundus autem de Maiori, & cœteris Miniſtris à Minoribus Pœnitentiarijs totaliter disparatis; quod quantum diſtet, quiſque iudicet. Qua propter liquidò patet id quod aſſerit R.D. Octauius Ligorius pag. 46. & 47. ſuæ *Lyræ Politicæ*; Librum ſcilicet typis mandatum ab A.R.P. Syro Placentino eſſe Illuſtriſſimi Capobianchi ſui Patrui, cum ſequentibus in eiſdem paginis eſſe falſum, ac nullo pacto ſubſiſtens. In quorum fidem &c. Datum in noſtro Conuentu S. Franciſci ad Ripam Tiberis die 19. Aprilis 1703.

Ego Fr. Franciſcus à Roma Reuiſor manu propria.
Ego Fr. Ludouicus Mutinen. Reuiſor manu propria.
Ego Fr. Hieronymus à Monte Furtino Reuiſor m. pp.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Seraphinus de Parabita Lect. Emerit. & Secret. Generalis.

Atte-

Atteſtatio AA.RR.PP. Angeli à Vareſio, Nicolai à Roſſillione, Antonij à Roma, & Angeli à Naro Sac.Theol.Lector.Generalium qui de mandato A.R.P.Franciſci de Brandelio Procuratoris Generalis Minor.Strictioris Obſeruantiæ collatione facta inter Libros hanc cenſuram dederunt.

CVM Librum, cui titulus, *Dilucidatio Facultatum Minorum Pœnitentiariorum Baſilicarum Vrbis &c* à P. Syro Placentino elaboratum, ac typis mandatum, Patris Admodum Reuerendi Franciſci de Brandelio Procuratoris Generalis mandato recognouerimus,ac eumdem alteri manuſcripto Illuſtriſs. D. Petri Antonij Capoblanchi *de Sacro Pœnitent.Foro,ſeu Tribunali &c.*,comparauerimus;doloſa cuiuſdam Antonij Liguorij accuſatio, ac præciſæ ambitionis partus inuenta eſt; nam P. Syrum de latrocinio volens reum, ipſum falſum accuſatorem reperimus, & caſtigationis dignum; conſtat etenim in ſua *Lyra Politica*, Neapoli impreſſa, publico expoſuiſſe Tribunali, P. Syrum tanquam in Republica Litteraria furem, qui à manuſcripto ſcilicet deſuper nominato, quod emptum dicit, proprium arripuerit opus, ac melle alterius paſtus, alieniſque veſtibus ornatus, in facie Eccleſiæ perſonatus comparuerit; Nos autem qui obiectum, materias, dubia, & cætera, quæ in ambobus Libris ſunt, exactè examinauimus, nil commune, nil idem, nil ſimile, nec titulum reperimus, ac ideo, vt reipublicæ litterariæ viri lumine veritatis, vt par eſt, poſſint incedere hanc diligentiæ ſimul & obedientiæ noſtræ proteſtationem, ante eorum oculos collocauimus. Romæ in Conu. S.Franciſci trans Tiberim die 9. Maij 1703.

Fr.Angelus à Vareſio Reuiſor manu propria.
Fr.Nicolaus à Roſſillione Reuiſor manu propria.
Fr.Antonius à Roma Reuiſor manu propria.
Fr.Angelus à Naro Pœnitentiarius Lateranen. in anno Iubilæi Reuiſor manu propria.

Loco ✠ Sigilli.

Fr.Petrus à Limano Secr.Gener. Curiæ.

Atte-

Atteſtatio A.R.P. Deodati à Roma Lectoris Emeriti, Concionatoris Generalis, ac Cuſtodis actualis Reformatæ Prouinciæ Romanæ.

DE ſpeciali mandato R. A.P. Procuratoris Generalis noſtræ Reformatæ Familiæ, & multo magis iuſtitiæ, quæ ſuum cuique reddere ſatagit, iuſſu, omnibus notum facio, ac pro veritate, ne à calumnia conculcetur, teſtor, D. Octauium Liguorium in ſua *Lyra Politica* (qui Libellus cum Neapoli eſſem in Regio S. Claræ Monaſterio mihi redditus fuit, vt illum Romam mitterem ad R. A. P. Syrum Placentinum Lateranenſem Pœnitentiarium, ac ſi reſponſio quædam eſſet, vel animaduerſio in Librum ab ipſomet P. Syro editum de Facultatibus Minorum Pœnitentiariorum) manifeſti mendacij reum eſſe, dum perfricta fronte audet aſſerere, Librum de Facultatibus, vt ſupra, fuiſſe olim compoſitum ab Auunculo ſuo Illuſtriſſimo D. Capoblancho, ſuaque propria manu deſcriptum, à P. verò Syro aut ſublatum, aut coemptum, & poſt Auctoris mortem proprio nomine publicæ luci traditum. Obſtupui, fateor, hæc legens, & vter eſſet damnandus hic furti, an ille calumniæ dubius aliquamdiù, anxiuſque cogitabam: donec Romam reuerſus vtrumque volumen, & editum à R. A. P. Syro, & exaratum ab Illuſtriſſimo quondam Domino Capoblancho, quod apud Eminentiſs. D. Cardinalem Colloredum aſſeruatur manuſcriptum, luſtraui, & ab inuicem in materia, in forma, in fine, ſtylo, metodo, eruditione, omni denique cauſarum genere multum, nimiumque differre comperi; ita vt eumdem vtriuſque Auctorem fingere, vel vnum alterum eſſe aſſirmare, ſit procul dubio dicere, bonum malum, aut malum bonum, ponendo lucem in tenebras, aut tenebras in lucem. Itaque vel D.Ligorium nunquam vidiſſe Librum à ſuo Auunculo compoſitum, contra quam quod ipſe profitetur, vel nunquam legiſſe Librum à R. P. Syr[illegible]pis mandatum, contra qnam quod ipſe clamat, vel tandem, neſcio qua ratione, impunè velle mentiri, & alienam famam non minus quam propriam con-